This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Lp 29. 306.

Bd. 1873

BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).

Recd. 13 October, 1868.

PROLEGOMENA

AD

LIBRUM EPISTOLARUM

QUAS MUTUO SIBI SCRIPSISSE

PLINIUM IUNIOREM ET TRAIANUM CAESAREM

VIRI DOCTI

CREDUNT.

SCRIPSIT

DR. IULIUS HELD

RECTOR GYMNASII SUIDNICENSIS.

SUIDNICII MDCCCXXXV.

SUMPTIBUS LUDOVICI HEEGII.

TYPIS KUPFERI, TYPOGR. VRATISL.

Cfr 27 306

1868, Oct. 13.
Salisbury Jurnal

Plurimis editionum epistolarum a Plinio iuniore ad familiares scriptarum additus est liber epistolarum, quas eundem et Traianum imperatorem mutuo sibi scripsisse Viri docti opinantur. Fuisse quidem Io. Mariae Catanaei et Aldi Manutii aetate, qui, posteaquam sensissent inesse in epistolis, quae possent iniicere mirationem, Plinii et Traiani illas esse negarent, ex eorum in editiones epistolarum Plinianarum praefationibus cognosces. Verum [1]) Catanaeus ipse, quidquid motum erat dubitationum, id lectoribus adimere studuit ac revera Plinium iuniorem et Traianum imperatorem auctores esse epistolarum demonstrasse sibi est visus, neque dissimili modo idem se evicisse Aldus sibi persuasit, eo [2]) pronior ad credendam splendidissimam epistolarum originem, quo vetustiorem ac praestantiorem ceteris omnibus codicem putaret illum, quem Aloisius Senator Venetus ex Gallia in Italiam reportatum ipsi excudendum ac publicandum dederat. Horum virorum auctoritatem secuti aut fortasse prorsus ignari dubitationum pro-

1) „Forsitan modestius fuerat supersedisse a qualibet in Caecilianas ad Traianum epistolas praefatiuncula, ne illam videremur ambitioni dedisse, nisi sciremus inter ingeniosas adhuc auctorem requiri." Catanaeus.

2) Ex quo Tu (Aloisium intelliges) Plinii epistolas in Italiam reportasti in membrana scriptas atque adeo diversas a nostris characteribus, ut, nisi quis diu assueverit, non queat legere, coepi sperare mirum in modum fore aetate nostra ut plurimi ex bonis auctoribus, quos non extare credimus, inveniantur. Est enim volumen ipsum non solum correctissimum, sed etiam ita antiquum, ut putem scriptum Plinii temporibus.

tarum qui saeculo septimo decimo aut octavo decimo novem Plinii epistolarum libros ediderunt, ii fere omnes epistolas, quae Plinii Secundi et Traiani imperatoris prae se ferebant nomina, pro genuinis habitas tanquam peculiarem eundemque decimum librum epistolarum adnexuerant. Ioannes Matthias Gesnerus solus, quod sciam, saeculo priore confessus est [3]) uno sibi vocabulo saepe repetito de auctore epistolarum scrupulum esse motum. At et hic de morsiuncula subnata facili negotio i. e. levissima istius vocabuli explicatione se ipse consolatus est. Iam vero quum tam clarum nomen vulgari opinioni patrocinaretur, nihil amplius suspicionis experturae epistolae videbantur ac revera indubitatae mansissent omnes, nisi Io. Salom. Semlerus in libro inscripto: Neue Versuche die Kirchenhistorie der ersten Iahrhunderte mehr aufzuklären, qui Lipsiae prodiit anno 1788, petitis ex epistolis, quae de Christianorum conditione a Plinio et Traiano scriptae putantur, argumentis evincere studuisset, non esse has ad religionis Christianae historiam pertinentes epistolas a Plinio et Traiano, sed ab impostore quodam Christiano eoque stultissimo scriptas. Semleri sententiam amplexus est adiuvitque Corrodius in libro inscripto: Beyträge zur Beförderung des vernünftigen Denkens in der Religion P. 13 p. 1 — 35. Adversarios autem nactus est Semlerus Haversaatium et Gierigium, quorum prior peculiari libello Gottingae anno 1788 publicato authentiam quam dicunt epistolarum defendit, alter vero in editione maiore epp. Plinii contra eum haud indiligenter disputavit. Uti Gierigius, sic etiam qui post eum operam impenderunt edendis epistolis, Schaeferus et Titzius, de Plinio et Traiano tanquam eârum auctoribus non dubitaverunt. Nec non nuperrimus epistolarum editor Io. Casp. Orellius criticam textus, quem vocant, historiam his exorsus est verbis: „Iam dudum cum vidissem pulcherrimum antiquitatis monumentum Plinii et Traiani epistolas mutuas, ad provinciarum Romanarum administrationem, ad complura iuris civilis capita, denique ad ingenium ac mores utriusque hominis accuratius cognoscendos vel maxime

3) Cf. eius adnotat. in secundam libr. X. epistolam.

idoneas, nunc ultra quam credibile est corruptas et interpolatas circumferri, iis, ut primum fieri posset, succurrere decrevi."

Equidem cum iterata lectione epistolarum Plinii edoctus, eas omnes, quas tenemus vitas huius scriptoris, ne illa quidem excepta, quae sagacissimi Massoni debetur diligentiae, notitiarum gravissimi momenti laborare defectu et posse desumi ex ipso Plinii opere accuratiorem vitae et studiorum descriptionem ac perfectiorem ingenii eius imaginem, constitueram copiosiorem vitae Plinianae exhibere adumbrationem. Tali igitur consilio adii denuo librum illum, quem decimum ferunt esse epistolarum Plinii, ut, quam agendi rationem esset secutus in regenda Bithynia, cognoscerem. Sed ingenue fateor perlustranti mihi epistolas singulas nonnulla in iis obvia esse facta, quae ne credam Plinium et Traianum auctores fuisse epistolarum effecerint. Iam ea, quae moverunt suspicionem, prolaturus sum: nec tamen sine timore. Scio enim, si ulla alia in re, fore in hac difficillimum dubitationes ita proferre in medium, ut aliquam prodant iustae caussae notam. Vix enim reperies virorum doctorum genus, quod non ex illis epistolis nonnulla scientiae suae propria petierit gratumque ob accepta beneficia libenter declaret animum, ita ut, qui de indole argumentoque libri aut laudandis aut vituperandis velint facere iudicium, non philologorum solum et historicorum, sed theologorum etiam atque iuris consultorum castra invadere cogi fere videantur.

Facile omnes concedent, quisquis epistolas istas scripserit, eum revera voluisse easdem credi mutuo scriptas a Traiano Caesare et Plinio iuniore. Documento sint luculentissimo non solum praescripta nomina, sed etiam argumenta epistolarum, quas Roma aut ex alia urbe Italiae ad Traianum in regione Rhenana commorantem a Plinio missas videri cupi-

vit auctor. Etenim quos iam cognovimus viros ex novem epistolarum Plinianarum librorum lectione, eorundem nomina et in illis reperiuntur. Sic Voconium Romanum, Tranquillum Suetonium (cf. l. I. ep. 18 et l. X. [4]) ep. 94. (95)) et Iulium Servianum (cf. l. III. ep. 17 et l. X. ep. 2.) iterum agnosces, neque deest exemplum maximae in indole, ingenio ac moribus hominum dēscribendis similitudinis. Cf. L. II. ep. 13 et L. X. ep. 3. Pari modo in epistolis vere Plinianis et in istis iniecta est mentio morbi periculosissimi, quo, qui scripserunt epistolas, sese fuisse implicitos significant. Cf. L. VII. ep. 1. L. X. ep. 4. De litibus quoque adversus Marium Priscum intentis L. II. ep. 11 et L. X. ep. 10 (22) lectorem docebunt. Ad Traianum vero datas esse epistolas credere quasi iubet legentes prima iam libri epistola incipiens a verbis: „Tua quidem pietas, Imperator sanctissime, optaverat, ut quam tardissime succederes patri, sed dii immortales festinaverunt virtutes Tuas ad gubernacula reipublicae, quam susceperas, admovere.“ Constat enim Nervam interfecti Domitiani successorem Traianum imperii fecisse consortem anno Chr. 96, illo autem biennio fere post defuncto summam rerum ad unum Traianum esse delatum. Gravissimi vero momenti est, quod epistola secunda libri decimi Iulium Servianum tanquam virum Caesaris gratia florentem depingit. Fuisse autem carum Traiano Servianum, suspicari possis ex Dion. historr. Rom. libr. LXIX c. 2 et 17.

At reliquas quoque epistolas, quas offert auctor ac si fuissent ex Bithynia datae, Traiani esse mutuas et Plinii quin putari cupiverit, non est cur dubitemus. Favet opinioni appellatio mi Secunde carissime, nec minus idem in utraque libri parte sermonis genus. Traiani insuper imperatoris studia notissima v. g. aedificandi, res militares ordinandi haud raro innuuntur. Postremo opinionem confirmant litterae commendatitiae, quas a Domitiano se accepisse [5]) Archippus Flavius philosophus crimine

4) Prior numerus spectat ad editionem Gierigii.

5) Cf. ep. 67 (66).

falsi in metallum damnatus dixit: quibus cum divi Nervae edictum additum reperiatur, quid veri potest similius statui, quam Traiani successoris exspectari debuisse responsum? Haec praemittenda esse videbantur, ut certiore pede pergere possemus in diversis argumentationis itineribus.

Gierigius non infeliciter conatus est certum quendam epistolarum constituere ordinem. Auctorem earum initio temporis ordinem observasse non dixerim: probandus tamen videtur conatus ille propterea, quod, quemadmodum Bithyniae rectoris vitam ac rationes mente comprehenderit auctor, disci licet. Bis tamen errasse puto Gierigium. Epistolam scilicet, qua Suetonio Tranquillo ab imperatore ius trium liberorum peti intelligimus, nonagesimam quartam (95) ex Bithynia datam esse censet, ni fallor, inductus verbis: „Potes autem colligere, quantopere cupiam, quod non rogarem absens, si mediocriter cuperem.“ Sed per se parum est veri simile, praefectum Bithyniae ex hac ipsa terra petiturum fuisse civi Romano ab imperatore ius trium liberorum et facilius cogitabis auctorem epistolarum voluisse Plinium videri petivisse epistola ex patria sua vel alio municipio missa. Secundam autem epistolarum Propraetorem advenisse Ephesi nuntiantem cur epistolis ex Bithynia datis censeri non liceat, primo iam adspectu apparet. Demtis igitur epistolis illis duabus una cum Traiani responsoriis quinque et quinquaginta numerabimus epistolas, quas Plinio adtribuerit auctor quinque et quadraginta, quas Traianum scripsisse credi idem cupivit. Iam videamus, num intra tam breve temporis concessum spatium tot ex Bithynia Romam et ab hac urbe in Bithyniam potuerint mitti epistolae.

Notissimum est, Proconsulibus vel Propraetoribus annuam tantum provinciarum administrationem tradi fuisse solitam, neque tamen negabis aliquot eos interdum mensibus excessisse constitutum regiminis tempus, habita difficultatum ratione, quas qui in alias terrarum orbis partes com-

migrare erant iussi, haud raro superare cogerentur. Itaque nunc investigabimus, per quot Plinio menses praefecturam commiserit auctor.

Anno Christi centesimo tertio profectum esse Secundum in Bithyniam [6]) consentiunt Viri docti. Eiusdem autem anni die decimo quinto Kal. Octobres in Bithyniam se venisse aliquanto tardius, quam sperasset, nec tamen de mora queri posse, cum sibi contigisset natalem imperatoris in provincia celebrare, ep. 19 (28) Propraetor scribit. Diem nativitatis celebratum innui recte censuisse opinor Massonum. Mense enim Decembri natum esse Traianum cognosci potest ex Plinii Panegyr. cap. 92 paragrapho quarta, collata cum Suetonii testimonio XIV. Kal. Octobr. Domitianum interfectum referentis c. 17 vitae huius imperatoris. Epistola quinta et quadragesima (44) vota pro incolumitate imperatoris et suscepta et soluta nuntiat. Hinc igitur cum solemnia quotannis vota III. Non. Ian. Romae et in provinciis pro salute imperatoris nuncuparentur, ineunte anno Chr. centesimo quarto rectorem Bithyniae Plinium fuisse auctorem statuisse putabimus. Epistola quadragesima nona (60) de die imperii cum provincialibus solemniter celebrato certiorem reddit Traianum. Innui septimum et vicesimum mensis Ianuarii diem, quo Traianus successerit Nervae defuncto recte iudicavit Massonus. Adoptionis de die quominus cogitemus, vetat responsoria Traiani voces diem imperii repetens. Epistola octogesima octava (89) Traiano Legatum diem natalem iterum gratulantem introducit auctor. Epistola centesima (101) praeterea haec tenet: „Vota, Domine, priorum annorum nuncupata alacres laetique persolvimus novaque rursus curante commilitonum et provincialium pietate suscepimus: precati Deos, ut Te remque publicam florentem et incolumem ea benignitate servarent, quam super magnas plurimasque virtutes praecipue sanctitate consequi Deorum honore meruisti.“ Haec initio anni CV scripta esse Massonus censet. Cf. vit. Plinii pag. 153. Accedit denique epistola cen-

6) Cf. vitae Plinii iunioris ab Ioanne Massono scriptae pag. 139 et sqq.

tesima secunda (103) diem imperii iterum celebratum significans. Reliquarum epistolarum nulla cum prae se ferret temporis notam, qua liceret Plinianam legationem ultra medium annum quintum protendere, Massonus censuit Plinium Bithyniae Pontoque per menses circiter duodeviginti praefuisse. Potest quidem contra hanc rationem disseri verbis epistolae centesimae „vota priorum annorum nuncupata alacres persolvimus" significari saltem per tres annos commoratum esse legatum in Bithynia, quippe qui priorum annorum vota solverit. Sed quominus vota a proconsulibus priorum annorum suscepta intelligamus, nihil est, quod obstet. Per se autem veri valde est dissimile, tam longum temporis spatium nulla cogente necessitate, nulla denique virtute commendante legato fuisse concessum.

Indagari iam licet, num intra menses [7]) duodeviginti Praesidis Bithyniae ad Imperatorem Romae aut saltem in Italia versantem epistolas quinquaginta et quinque misisse et responsorias quadraginta quinque accepisse probabiliter statui possit. Gierigius ipse censet, illum dato iure ad Caesarem referendi abusum propemodum esse, quippe qui putandus sit [8]) singulis prope septimanis unam epistolam scripsisse: cuius rei momenta pleraque, qui ponderaverit, eum non dubito quin maxima subitura sit miratio.

Qui ex Bithynia Romam aut Roma in Bithyniam cupiant proficisci, hos spatium plus ducentorum milliariorum germanicae mensurae peragrare, neque unam tantum, sed complures septimanas profectioni, etiamsi nulla contraria re tardata esset, impendere coactos fuisse concedes. Sequitur inde, vel hoc unum, quominus tot a Plinio epistolas missas totque Traia-

7) Ep. 120 (12) gratias agit Imperatori Praeses, quod ad finem consulatus Coelium Clementem in Bithyniam successorem sibi miserit. Verum de tempore missionis probabilem coniecturam e verbis laudatis facere non possum.

8) Cf. Gierigii in epistolas ex Bithynia missas praefationem.

ni responsorias fuisse arbitremur, aliquantulum obstare. Insuper Traianum tot precibus, tot optatis seduli praesidis intra tam breve temporis spatium satisfacere nec potuisse, nec voluisse putaverim vel retentum aliarum earumque gravissimarum rerum occupationibus vel nugas hominis parum sapientis aegre ferentem. Multo minus autem de illo epistolarum numero nobis persuadebimus, ubi, quam multis rebus aetate ista, quoties mandata epistolasve in remotiores provincias perferre iuberentur, nuntiorum publicorum tardaretur adventus. Deerant commodae viae publicae, exceptis iis, quas Italia habebat. Novimus quidem, quibus esset imperatum, ut facerent itinera publice, eos interdum [9]) diplomatis adiutos fuisse, aut, qui ad Caesarem ius tenerent referendi, cursoribus publicis utendi habuisse potestatem. Sed priore beneficio raro tantum et quando [10]) summa festinatione esset opus, illos usos fuisse puto et posterius tantummodo ad augendam celeritatem profectionis vel missionis per Italiam efficax fuisse videtur. Iam si de eorum, quibus ex Italia fuerit proficiscendum in Bithyniam, conditione cogitamus, non solum, quas terrae obiecerint difficultates, sed etiam in mari ventorum adversa ac pericula procellarum superare adactos eosdem fuisse fatebimur. Itaque non potuit fieri, quin mutuae epistolarum a rectoribus Bithyniae ad Caesares scriptarum missioni maximae interdum infer-

9) Capitolinus in Pertinace c. 1.: „Quod sine diplomatibus cursum usurpaverat, pedibus ab Antiochia ad legationem suam iter facere coactus est.

10) Praeses provinciae ipse scribit ep. 31 (14): „Rex Sauromates scripsit mihi, esse quaedam, quae deberes quam maturissime scire: qua ex caussa festinationem tabellarii, quem ad te cum epistolis misit, diplomate adiuvi.“ Videmus igitur, Praesidem ipsum introduci ab auctore indicantem, quando et cui diploma commodaverit. Ceterum non possum, quin hoc loco disseram de epistola 121, quam nulla ego ratione possum credere datam esse ex Bithynia. Mirabiliter enim uxorem iter longissimum susceperam excurrere velle maritus scripsisset. Dein adversantur verba „Usque in hoc tempus, Domine, neque cuiquam diplomata commodavi etc.,“ quae repugnant indicio, quod de tabellario regis Sauromatae tenet epistola tricesima prima. Sequitur inde auctorem libri voluisse credi epistolam scriptam esse ante praefecti ex urbe in provinciam discessum.

rentur morae. Quam valde autem ipsius praesidis in provinciam profectio sit tardata, facile colligi potest ex epistolis 17 (26) et 19 (28). Ex Italia supra Maleam Ephesum navigasse illum prior epistolarum laudatarum nuntiat, altera vero illatae morae iniicit mentionem. Hoc igitur iam nunc statui licere videtur, mutuam per certa temporis intervalla tot epistolarum fuisse missionem vix cogitari posse.

Fortasse autem ad tollendam de numero dubitationem contenderit aliquis, non singulas missas esse Praefecti ad Caesarem epistolas, sed complures simul, ita ut responsoriae quoque complures darentur. Hac argumentandi ratione maius sane temporis spatium interrogationibus et responsis perferendis concessum fuisset. At repugnat tali opinioni epistolarum et argumentum et indoles externa. Sunt enim haud paucae earum ita scriptae, ut accepto demum rescripto eadem de re iterum ad Caesarem scriptum fuisse videri voluisse auctorem pateat. Id statim probabunt epistolae 21 (34), 22 (35), 23 (75) et 24 (76), quarum prima de novo Prusensium balineo exstruendo consulitur Traianus, altera imperatorem indulsisse desiderio Prusensium significat[11]), tertia vero luculenter edocet, praesidem provinciae accepisse Traiani responsum, antequam nova epistola locum balineo exstruendo opportunum ostenderet commendaretque. Idem fere erit dicendum de epp. 25 (32), 36 (33) et 27 (18), quarum prima de Gabio Basso exiguum militum numerum sibi sufficere negante certiorem reddit Traianum, altera eundem a Caesare reprehensum innuit, tertia denique laudes eiusdem viri affert, fortasse ut principi commendaretur. Dein epistolas supra laudatas, quas Bithyniae rectorem gratulaturum principi aut imperii aut nativitatis diem scripsisse auctor lectoribus persuadere cupit, vix posse cogitari una missas, neque Caesarem rescripta sua una daturum fuisse quivis facile concesserit. Diversis porro temporibus ex Bithynia da-

11) Ep. 23 (75) haec tenet: Quaerenti mihi, Domine, Prusae ubi posset balineum, quod indulsisti fieri, placuit locus, in quo fuit aliquando domus, ut audio, pulchra.

tae videntur esse epistolae 30 (13) et 31 (14) recteque contra Gierigium Schaeferus monuit epistolam posteriorem non posse haberi pro parte prioris, cum priorem tabellarium significet auctor praefectum usum opportunitate, quam obtulisset casus, misisse ad Traianum, alterius autem cursum, quod talis opportunitas deesset, adiuvisse diplomate. Ep. 70 (50) suadet praeses provinciae imperatori, ut lacum in Nicomedensium finibus fossa ducta cum mari committat. Respondens ep. 71 (51) introducitur ad hanc rogationem Caesar: quod responsum respicientem triplicem rationem observabimus ep. 72 (69) praefectum imperatori proponentem, qua lacus mari committi possit: quo studio gratiam apud eundem adeptus esse videtur. Saltem potestatem eligendi id, quod praecipue res suaserit, Caesaris responsoria ei offert. Manifestum igitur est, has quatuor epistolas seorsum missas cogitari debere. Accedit ad epistolas modo laudatas tricesima secunda (15), quam seorsum scriptam haberi sine dubio cupivit auctor. Ceterum potuissent huiusmodi epistolae brevissimis temporis interiectis intervallis ex provincia mitti; itaque in his saltem haud firmum opinionis meae fulcrum invenerim. At haec ista de re sufficiant. Colligi enim ex iis opinor haud paucas epistolas seorsum apparere scriptas atque ad unam quamque earum singulares imperatoris responsorias missas. Verum etiamsi omnes, quod attinet ad argumenti indicia, ita viderentur esse comparatae, ut de nulla earum tale quid statui posse videretur, tamen eas ipsa scribendi ratio tanquam diebus diversis scriptas missasque proderet.

Ac primum quidem praefectum una eademque epistola complura argumenta tractavisse et ad deliberandum proposuisse imperatori documento luculentissimo est epistola tricesima tertia (18), in qua quid sit faciendum theatro et gymnasio apud Nicenses, balineo apud Claudiopolitanos Traianum interrogat. Hinc igitur colligas eundem de rebus compluribus scribentem idem facturum vel hoc facere si recusasset, additurum fuisse litteras, in quibus quot cuiusque argumenti ad Caesarem mitterentur epistolae, accurate reperiretur perscriptum. Instituto huiusmodi opus fere fuisset, quoties complures de diversis rebus libelli ad Caesarem darentur una.

Sed frustra idem quaeres. At ne haec quidem res mihi videtur tanti esse momenti, quanti, quam in plerisque inveniri licet epistolis, incipiendi vel praefandi ratio. Etenim haud raro familiaritatem quandam produnt epistolarum initia, ut ep. 25 (32), 28 (85), 35 (42); interdum autem in fronte invenies preces, ut ep. 39 (30), 56 (64), item de accepto ad Caesarem ipsum referendi iure laetantem deprehendes praefectum atque illum ad curas servi sui descendere oportere libere eloquentem. Cf. ep. 43 (40). Admiratorem quasi eum agere maiestatis imperatoriae dixeris ep. 70. Multo autem magis, quam exordia, ea verba, quibus scribendo finem imponentem videmus praefectum in singulis epistolis, prohibebunt, quominus multas epistolas una missas putemus. Ep. 21 (34) Caesarem idem de civitatis dignitate ac nitore saeculi monet. In fine duodetricesimae epistolae leges: „Te, Domine, rogo, ut me in hoc praecipue genere cognitionis regere digneris;“ ep. 30 (13): „tabellarium mittendum putavi, ut possis ex Lycormae et ex regis epistolis pariter cognoscere, quae fortasse pariter scire deberes;“ ep. 33 (48): „ergo cum timeam, ne illic pecunia publica, hic, quod est omni pecunia pretiosius, munus tuum male collocetur; cogor petere a te, mittas architectum;“ ep. 35 (42): „Tu, Domine, dispice, an instituendum putes collegium fabrorum;“ ep. 41 (88): „Quid ergo debeam sequi, rogo, Domine, scribas, praesertim cum pertineat ad exemplum;“ ep. 47 (46): ego illud unum adfirmo, et utilitatem operis et pulchritudinem saeculo tuo esse dignissimam;“ ep. 51 (36): „in futurum quid servari velis, rogo rescribas;“ ep. 53 (56): „Te rogo, ut mihi praecipere digneris, quid me putes observare debere. Vereor enim, ne aut excessisse aut non implesse officii mei partes videar.“ Ep. 56 (19): „Meum gaudium, Domine, meam gratulationem filii honores continuent.“ Cf. praeterea ep. 57 (52), ep. 59 (54), 68 (67), 76 (73), 87 (77), 80 (79), 92 (93), 110 (111), 114 (115), 118 (119).

Ex epistolarum igitur argumento equidem auctorem libri unamquamque epistolarum seorsum missam videri voluisse opinor posse me facere coniecturam: quae ubi omnibus probabilis apparuerit, nihil ego iam

dubito contendere, haud credi licere, intra duodeviginti mensium spatium potuisse tot mitti epistolas a praefecto Bithyniae Romam et a Caesare ex urbe in provinciam.

Itaque ad tractandum alterum iam accedamus locum, ex quo hominem parum peritum epistolas decimi libri scripsisse colligi posse existimem.

Argumenta epistolarum qui accurate spectaverit, iustam eum subituram esse miratiοnem censeo. Ad res scilicet constituendas, ordinandas, emendandas missum praefectum in provinciam auctorem epistolarum sibi cogitavisse intelliges e verbis principis ep. 44 (41): „Memineris idcirco te in istam provinciam missam, quoniam multa in ea emendanda apparuerint." Praeterea potestate ad Caesarem referendi instructum eundem cogitare lectores iubet initium quadragesimae tertiae: „Salva magnitudine Tua, Domine, descendas oportet ad meas curas, cum ius mihi dederis referendi ad Te, de quibus dubito." Neque per se non est probabile, qui missus fuerit rectoris vices obiturus in provinciam remotiorem, haud exiguam eum negotiorum gravissimi momenti procurandorum molem in se suscepisse. Egregiam igitur huius conditionis hominibus, dummodo recto consilio administrandis rebus publicis vellent navare operam, comparandae summae laudis occasionem obtigisse non negabis. Videamus, quomodo Bithyniae praeses, qualem auctor libri eum exhibuit, rem gesserit.

Ac primum quidem apparebit excepta notissima illa epistola de Christianorum conditione scripta nullam fere aliam legi, in qua ad deliberandum Caesari proponerentur res, quae dignae haberi potuissent, ut per spatium ducentorum milliariorum perferrentur ad principem. Traianus ipse scribit ep. 44 (41): „quoniam multa in provincia emendanda apparuerint (scil. Caesari), missum esse praefectum. Itaque ex his verbis merito concludemus, illum ab ipso Caesare de administrandis rebus gravissimis accepisse mandata simulque ne minoris pretii rerum curatio epistolarum missio-

nem, tempus ac nummos exigentem, sibi posceret, qua qui antea administravere provinciam, fuerant gavisi, iudicandi ac transigendi potestate non caruisse. At istum vim imperii sui non novisse facile colligitur. De rebus enim consultat consultatione prorsus indignis, etiamsi exiguo tantum spatio ab urbe disiuncta fuisset provincia. Sic ep. 25 (32) de Gabio Basso orae ponticae praefecto beneficiarios decem, equites duos, centurionem unum sibi sufficere negante, etsi imperator ipse eum hoc militum numero contentum esse iussisset: cuius responsum tale fuisse senties, ut eius menti homo fere stolidus obversatus esse videatur. Multum scilicet interesse rescribit, res poscant an homines imperare latius velint. Utilitatem demum spectandam esse et quantum fieri possit, curandum, ne milites absint. Litteris quidem rescriptum ad Bassum subiectum fuisse auctor significat. At vel ita, quae a Caesare praecepta sint, unumquemque, qui administrandae provinciae susceperit munus, nosse debere concedes. Ep. 28 (85) praefectus refert se de Dione quodam Cocceiano civitati rationem debente operis, quod aliter fecisset atque debuisset, simulque, quod Traiani statuam haud procul a sepultorum corporibus posuisset, manifesto laesae maiestatis disceptare voluisse Niceae, moram tamen disceptando illatam esse per Eumolpum quendam: ab utraque parte se libellos postulationum poposcisse, uti Caesar ipse posset cognoscere de re; Eumolpum non dedisse libellum, Dionem dedisse: in fine autem rogat, ut Caesar in hoc praecipue genere cognitionis regere se dignetur. Rem eiusmodi indignam fuisse, quae deferretur ad Caesarem a Bithyniae praefecto, neminem negaturum puto, neque negavit Gierigius, alioqui promptissimus auctoris defensor. Immo Caesari ipsi displicuisse intempestivam haesitationem ostendunt verba responsoriae: „Potuisti non haerere circa id, de quo me consulendum existimavisti, cum propositum meum optime nosses.“ Ep. 33 (48) nuntiat praefectus, Nicenses et Claudiopolitanos magnis operibus inepte aedificandis occupatos pecuniam perdere, rogatque Traianum, ut, quid faciendum sit operibus maxima iam parte constructis, indicare architectumque velit mittere. Ceterum parum accurate conditionem singulorum operum, theatri, gymnasii, balinei describit, immo de gymnasio testimonium affert architecti,

inchoatum opus reprehendentis, quem ipse aemulum illius appellat, qui istud inchoaverit. Iam si patet, etsi exstruendis operibus perquam deditum fuisse constet Traianum, tamen huiusmodi res haud satis fuisse dignas, de quibus Romae disceptaretur, profecto hoc quoque concedetur, non potuisse nisi diligentissime edoctum Caesarem absentem de iis transigere; certe ipse rescribit ep. 31 (49): „Quid oporteat fieri circa theatrum, quod inchoatum apud Nicenses est, in re praesenti optime deliberabis et constitues. Mihi sufficiet indicari, cui sententiae accesseris."

Haud digniorem consultatione rem existimaverim interrogationem praefecti, quam continet ep. 39 (30), utrum per publicos civitatum servos (quod ad illud usque tempus factum), an per milites adservari deberent custodiae. De re tam parva defuisse decernendi potestatem praefectis provinciarum vix crediderim. Praeterea nosse nostrum oportebat Traiani praeceptum, quam paucissimos milites a signis avocandos esse. Quis porro opinetur epistolam huiusmodi 41 (38) scriptam fuisse a Bithyniae rectore ad Traianum: „Sempronius Caelianus, egregius iuvenis, repertos inter tirones duos servos misit ad me:. quorum ego supplicium distuli, ut te, conditorem disciplinae militaris firmatoremque, consulerem de modo poenae. Ipse enim dubito ob haec maxime, quod nondum distributi in numeros erant. Quid ergo debeam sequi, scribas." Etenim primo praefectum provinciae, quid tali in re constituendum esset, scire oportuit, modo ne mirum quantum ignarus legum militarium haberi voluerit. Tum vero ridiculam idem assentationem interrogationi immiscuit conditorem disciplinae militaris appellans Traianum eo ipso tempore, quo de re perexigui tantum momenti consultaret eundem. Denique Traianus ipse coactus est praefectum suum edocere, quomodo de rebus istius modi indicium debeat afferri. Referre ait, voluntarii se obtulerint, an lecti sint, vel etiam vicarii dati. Nihil horum erat indicatum. Frontem, credo, contraxisset verus Traianus legatumque suum castigasset merito, si quaestiones isto modo propositae ipsi fuissent ad deliberandum. Similem negligentiam reperimus a Caesare notatam in epistola quadragesima septima (46) referente Nico-

medenses in duos aquaeductus impendisse nummos, priorem tamen eorum imperfectum iam relictum; alterum imperfectum relinquendum novoque impendio esse opus, ut aquam haberent, qui magnam pecuniam male perdidissent. Omitto, quod mirum videri debeat, Bithynos in aedificando magno suo damno tam stultos, tam temerarios fuisse: illud sane quod et auctor responsi animadvertit, magis offendit, quod, quorum vitio pecuniam Nicomedenses perdiderint, ne verbo quidem attigerit praefectus. De culpa eiusmodi debebat Caesar certior fieri.

Ep. 51 (36) se Maximo procuratori Caesaris milites, quos habuerit reliquisse duosque addidisse tutelae caussa nuntiat praefectus, iterum dubius, num recte fecerit necne. Huius quoque epistolae argumentum inane dixerim.

Mirationem aliquam epistola quinquagesima tertia (56) iniicit. Legimus praefecto Apameae cum voluisset cognoscere publicos debitores et reditum et impendia, esse responsum cupere quidem universos, ut ab ipso rationes coloniae legerentur, nunquam tamen esse lectas ab ullo Proconsulum: habuisse sese privilegium et vetustissimum morem arbitrio suo rempublicam administrandi. Iam praefectus ipse pergit: „Exegi, ut, quae dicebant quaeque recitabant, libello complecterentur: quem tibi, qualem acceperam, misi: quamvis intelligerem, pleraque ex illo ad id, de quo quaeritur, non pertinere.“ Laudabilis quidem apparet praefecti modestia Apameensium *αὐτονομίαν* senatus consulto firmatam turbare nolentis: verum cur libellum idem, in quo ab re aliena erant perscripta, non remiserit provincialibus, sed ad Caesarem perferendum curaverit, vix intelligere possum. Consulenti ep. 78 (77) praesidi de agnoscendis liberis restituendisque natalibus Traianus rescribit: „Si mihi Senatusconsultum miseris, quod haesitationem tibi fecit, aestimabo, an debeas cognoscere de agnoscendis liberis et natalibus suis restituendis.“ Mirationem facit Traiano responsum ne indicantis quidem, illius Senatusconsulti copiam Romae non fuisse.

Absona videtur prorsus mihi esse responsoria ad epistolam praefecti 79 (78), qua idem se ab Iulio Largo heredem fiduciarium institutum esse nuntiat quaeritque ex Caesare, quum arbitrii ipsius moriens ille fecisset, opera facere vellet consecranda Caesaris honori an agonas instituere quinquennales, utrum horum faciendum sibi eligeret. „Iulius Largus, rescribit ille, fidem tuam, quasi te bene nosset, elegit. Quid ergo potissimum ad perpetuitatem memoriae eius faciat, secundum cuiusque loci conditionem ipse dispice et quod optimum existimaveris, sequere.“ Tali responso, ut se dignaretur Caesar, nulli unquam sanae mentis praefecto venisset in mentem ex Bithynia Romam mittere epistolam.

Colligi puto ex allatis exemplis hominem parum sapientem, in administrandis rebus civilibus ne mediocriter quidem versatum imperitumque legum praefuisse Bithyniae. Tantam vero inscitiam Caecilio Plinio Secundo, quem adolescentem in Syria militavisse et in gravissimis caussis patronum haud contemnendum surrexisse constat, nullo ego modo tribuerim.

Augeri insuper videtur opinio malae praefecti indolis nonnullis immodestiae et arrogantiae indiciis. Notum quidem est, Plinium iuniorem ipsum adeo placuisse sibi tantaque fuisse ambitione, ut virtutes eius haud parum viderentur obscurari isto vitio. Sed longe aliud crediderim fuisse fiduciae genus in praefecto provinciae, atque fuerit in illo. Laetantem scilicet saepe ac gloriantem deprehendes Secundum bona sua existimatione; nunquam tamen eo processisse putaverim fiduciae, ut in potentiores, nedum in Caesarem illum, cuius laudes servili paene dicendi genere celebraverit, aliud quid nisi summi obsequii documenta edidisset. Arrogantiam hominis istius epistola tertia prodere videtur. Commendatur illa Voconius Romanus Caesari: cuius laudes ubi commemoratae sunt, addita reperies verba: „quibus singulis multum commendationis accessurum etiam ex meis precibus indulgentiae tuae credo.“ Voluntatis quidem maximae documentum iam accepisse se ab Caesare significavit epistola proxime praecedente, verum tamen isto modo eum superbire quasi coram imperatore nefas erat.

Nec maiore cum modestia scribentem invenies eundem epistola nona ab his incipiente verbis: „Scio, Domine, memoriae Tuae, quae est benefaciendi tenacissima, preces nostras inhaerere: quia tamen in hoc quoque saepe indulsisti, admoneo simul et impense rogo, ut Accium Suram praetura exornare digneris, cum locus vacet.“ Recte suspicatus est Gierigius, nostrum iam antea pro Sura fuisse precatum atque Caesarem respondisse, collaturum se esse in eum Praeturam oblata occasione. Sed eo ipso quanquam addita sunt verba „quia tamen in hoc quoque saepe indulsisti“ maiore reprehensione dignum apparebit istud scribendi genus. Declarare quidem in epistola quinquagesima sexta (19) alio sane nomine modestiam suam videtur praefectus innuens a Nymphidio Lupo consilio se instrui, verum quantumvis in privato homine probaveris ingenium aliorum virtuti nihil laudis detrahens, tamen provinciae rectori hoc certe non potest verti honori, quod consilio se instrui per alium confiteri coactus erat. Quod vero Gierigius scribit adfuisse videri praefecto in indagandis et emendandis rebus Bithynorum, hoc ut alienum a verborum illorum significatione improbandum esse puto.

Offensuram praeterea esse lectorem puto respondendi, quam inlit Traianus rationem. Illud quidem nullam potest iniicere mirationem, quod in epistolis haud paucis eadem propemodum verba repetuntur, quae praefectum usurpare iusserit libri auctor. Hoc enim rescribendi modo usi fuisse videntur imperatores Romani et habet sane haec ratio, quo commendetur. Verum merito mirabere, in epistolis multis ad praefecti interrogationes respondere ita, ut nihil fere commodi cepisse videatur is, qui consulenti praefecto, ep. 21 (34) posteaquam aperte indicatum esset, non defuturam, ex qua fieret opus, pecuniam, rescripsit Caesar: Si instructio novi balinei oneratura vires Prusensium non est, possumus desiderio eorum indulgere: modo ne quid ideo aut intribuant aut minus illis in posterum fiat ad necessarias erogationes. „Vellem castigasset Caesar procuratorem suum, quod non una cum interrogatione accuratam exstruendi balinei descriptionem locique quo deberet exstrui indicium obtulerit, ita ut statim de re tota po-

tuisset institui deliberatio. Quae addita invenies verbis illis veniam datam significantibus, inania sunt, cum epistola superiore esset relatum: „Erit pecunia, ex qua fiat: primum ea, quam revocare a privatis et exigere iam coepi: deinde, quam ipsi erogare in oleum soliti parati sunt in opus balinei conferre. Similem in rescribendo brevitatem notabis ep. 24 (76). Ep 33 (48) coactum se confessus est Praeses petere a Caesare architectum, qui dispiceret, utrum esset utilius post sumtum factum quoque modo consummare opera, ut inchoata essent, an quae viderentur emendanda, corrigere; quae transferenda, transferre. Caesar ita respondit: „Architecti tibi deesse non possunt. Nulla provincia est, quae non peritos et ingeniosos homines habeat: modo ne existimes brevius esse ab urbe mitti, cum ex Graecia etiam ad nos venire soliti sint.“ Stultissime sane rem gessisse hominem concedes, rursus architectum poscentem cum ad primam iam ex provincia missam epistolam respondisset imperator mensores i. e. architectos vix iis operibus, quae aut Romae aut in proximo fierent sufficienter se habere; sed vel sic cum nulla postulati iterum facti reprehensio sit iniecta, prorsus inutilem hanc responsoriae partem puto: nec minus vile totum responsum apparet. Etenim quae petita sunt, concessa invenies et quae insuper addita, ita comparata, ut omitti potuissent nullo rei ipsius damno. In primis autem epistolam quinquagesimam secundam (37) ineptam dixerim. Praefectus enim cum nuntiasset, se Maximo Procuratori Caesaris milites nonnullos permisisse, addidit: in futurum quid servari velis, rogo rescribas. Ad haec rescriptum invenies: Nunc quidem proficiscentem ad comparationem frumentorum, Maximum libertum meum recte militibus instruxisti. Fungebatur enim et ipse extraordinario munere. Cum ad pristinum actum reversus fuerit, sufficient illi duo a te dati milites et totidem a Virbio Gemellino procuratore meo, quem adiuvat. In hac epistola Caesar ne verbo quidem significavit, quid servari a praefecto deberet in futurum. Nam quae de duobus suffecturis militibus addidit, ea pro responso exspectato haberi non licet. Ep. 54 (57) Traianus scribit Apameorum libellum, quem epistolae missae adiunxisset praefectus, sibi remisisse necessitatem rependendi, qualia essent, propter quae videri voluissent eos, qui pro Con-

sulibus istam obtinuissent provinciam, abstinuisse inspectione rerum suarum, cum ipsum praefectum, ut eas inspiceres non recusassent. De rescripto huiusmodi recte mirabere. Praefectus enim in sua epistola aperte indicaverat intellexisse sese in libello accepto pleraque ad id, de quo quaereretur, non pertinuisse. Imperator tamen edoctum satis se esse rescribit. Miratio subibit, qui perpenderint verba ep. 58 (53) collatae cum praegressa. Consulenti scilicet procuratori provinciae de sumtibus Byzantinorum in legationes ad principem et ad Moesiae praesidem factis sed a se levatis haec invenient responsa: „Optime fecisti, Secunde carissime, duodena ista Byzantiis, quae ad salutandum me in legatum impendebantur, remittendo. Fungentur his partibus, etsi solum eorum psephisma per te missum fuerit. Ignoscet illis et Moesiae praeses, si minus illum sumtuose coluerint.“ Omitto, quod Thracia tanquam adiecta Bithyniae apparet: quamvis suspicionem aliquam hoc ipsum iam moverit, cum Byzantinis, quorum civitas Claudio regnante provincia facta esset, Vespasianum ademisse libertatem et Byzantium ipsum, Rhodium, Samum quae liberae ante istud tempus fuissent, in provinciae formam redegisse Suetonius Vespas. c. 8 et Eutropius VII, 13 memoriae prodiderint. Licet tamen rem sub imperio Caesarum, qui secuti sunt, Titi vel Domitiani vel Nervae aliter institutam fuisse cogitari. Omitto, quod sumtus levare sine ulla consultatione praefectus statim est aggressus, cum ipse indicasset se memorem propositi Caesaris legatum quidem retinendum, psephisma autem mittendum putavisse, quamvis hac ex re offensionis aliquid subnasci posse opineris, quod in responsoria ne verbo quidem Caesar ipse significaverit, praefectum ex Caesaris ipsius proposito rem gessisse. Puto tamen in fine epistolae a praeside, qui memorem se illius propositi significasset, mirum in modum adiungi: „Te, Domine, rogo, ut, quid sentias, rescribendo aut consilium meum confirmare aut errorem emendare digneris.“ Omnium maxime dubitaverim autem Caesarem remissionem sumtuum sibi probatam tam paucis fuisse significaturum verbis immo ludibunde fere scripturum: „Ignoscet illis et Moesiae praeses, si minus illum sumtuose coluerint.“

At haec suffectura ego opinor ad comprobandam sententiam, imperatorem prudentem, qualia continentur epistolis decimi libri responsa, talia vix censeri posse exhibuisse.

Iam si considerata epistolarum forma frustra quaesiveris temporis, quo datae fuerint, indicium senserisque egregium exemplum Augusti imperatoris, quem ad epistolas omnes horarum quoque momenta nec diei modo, sed et noctis, quibus datae significarentur, addidisse Suetonius est auctor c. 50 vitae eiusdem, haud secutum esse Traianum, qui neque ipse, quo tempore dederit epistolam, significaverit, neque quando praefecti sui epistolae datae essent, significatum reperire potuerit, cum perraro tantum insint in illius epistolis temporis indicia, nullam propemodum notam, imperatoris illius manum prodentem, prae se ferre istas epistolas concedes.

Sunt autem praeterea, ex quibus opinationem de splendidissima illa epistolarum origine addubitari recte colligi liceat. Etenim non desunt, quae accuratius inspecta ab uno eodemque homine, vel a scriptore attento proferri potuisse in medium facile negaveris. Leges epistola 10 (20): „omnibus advocationibus renuntiavi, ut toto animo delegato mihi officio vacarem. Qua ex caussa cum patronum me provinciales optassent contra Marium Priscum, et petii veniam huius muneris et impetravi.“ Tale quid vix crediderim Plinium iuniorem de se scribere potuisse, quippe qui eadem de re libr. II. ep. 11 haec Arriano suo nuntiaverit: „Marius Priscus accusantibus Afris, quibus pro Consule praefecit, omissa defensione iudices petiit. Ego et Cornelius Tacitus adesse provincialibus iussi.“

Equidem, quantam ex Afrorum optato laudem cepisse sibi sit visus, reticuisse coram Arriano Plinium, quae eius ingenii erat indoles, facere non possum quin credam. Itaque, cum de alia Marii Prisci caussa epistola 10 (20) disseri parum sit credibile, repugnantiae aliquid inesse in verbis laudatis censeo. Vitium diversum ab hoc epistola de Christianorum conditione scripta prodit. Auctor ubi narravit, eos se dimittendos putavisse, qui

negassent, se esse Christianos aut fuisse Diisque appellatis imagini imperatoris ture ac vino supplicassent et maledixissent Christo, ita pergit: „Alii ab indice nominati, esse se Christianos, dixerunt et mox negaverunt: fuisse quidem, sed desisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque. Omnes et imaginem tuam Deorumque simulacra veneráti sunt. Ii et Christo maledixerunt. Adfirmabant autem, hanc fuisse summam vel culpae suae, vel erroris, quod essent soliti state die ante lucem convenire carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse rursusque coeundi ad capiendum cibum promiscuum tamen et innoxium: quod ipsum facere desiisse post edictum meum, quo secundum mandata tua hetaerias esse vetueram.“ Haec qui accurate legerit, eum offensum iri opinor, quod qui ante triennium, immo ante plures annos defecisse sese a Christo dixissent, ii post edictum praefecti abstinuisse se a conveniendi canendique in honorem Christi more affirmaverint. Parum enim veri est simile, ullum proconsulum vel praefectorum tres vel plures annos unam eandemque rexisse provinciam; nisi forte bello aliisve temporum angustiis ad imperium prorogandum Senatus aut Caesar fuerit coactus. Statum vero provinciae fuisse talem, ut per tot annos praeesset illi Plinius, vix crediderim. Hoc igitur certe contendi potest, qui vitam Plinii, quam Massonus secundum annos digestam exhibuit, comprobassent, parum recte laudata illius epistolae verba neglexisse. Gierigius de difficultate ne Semlero quidem observata egregie monuit male tamen superatam iam opinatus eandem, si explicueris putari posse, in accusatorum numero fuisse etiam, qui ante paucos menses defecerint. Opinio eiusmodi parum est probabilis, cum verbum adfirmabant ad eos omnes sit referendum, qui negasse dicuntur esse se Christianos, dixisse tamen se fuisse quidem, sed desiisse iam ante tres vel plures annos. Erat cum ego putarem verba quod ipsum facere desiisse post edictum meum pertinere potissimum ad id, de quo proxime sit dictum, ita ut morem coeundi ad capiendum cibum etiam retinuisse se di-

xissent omissa Christianorum religione neque prius abstinuisse ab eo, antequam edicto praesidis quodvis vetitum esset hetaeriarum genus. At reiicio explicationem eiusmodi, cum verba quod ipsum facere multo aptius coniungantur cum superioribus adfirmabant hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris. Itaque ego laudatis notissimae illius epistolae verbis haud parum suspicionem meam auctam esse reor.

Ex Traiani responsoria praefectum discere aliquid potuisse recte Semlerus negavit. Mandata enim invenies, quae fecisse se, iam ille scripserat[12]). At unum tamen offendit non tam ut novum, sed potius ut inexspectatum. Conquirendos non esse rescribit Traianus, etsi de conquisitione nihil invenerit in epistola praesidis: neque cum Gierigio recte statues Traianum ei occurrere in futurum voluisse.

Omnium autem maxime duae me priores, quas ex itinere et statim post adventum Plinium scripsisse videri vult auctor, offenderunt epistolae 17 (26), 18 (27), 19 (28), 20 (29), collatae cum Traiani responsoriis. Priore epistolarum praefectus, quem adhuc tenuerit cursum et quomodo iter sit continuaturus, imperatori his nuntiat verbis: „Quia confido, Domine, ad curam tuam pertinere, nuntio tibi, me Ephesum cum omnibus

12) Traianus haec rescribit: „Actum, quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in universum aliquid quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt; si deferantur et arguantur, puniendi sunt: ita tamen, ut qui negaverit, se Christianum esse, idque re ipsa manifestum fecerit, id est, supplicando Diis nostris, quamvis suspectus in praeteritum fuerit, veniam ex poenitentia impetret. Sine auctore vero propositi libelli, nullo crimini locum habere debent. Nam et pessimi exempli, nec nostri saeculi est.“ Uti iam praesidis epistola parum accurate retulerat de reorum conditione, ita ut ne unius quidem hominis afferretur nomen, ita quoque responsoria Caesari laudem imperatoris religiosi i. e. munus suum diligenter obeuntis non pariet. Ad satietatem etiam repetita sunt verba de saeculi dignitate.

meis ὑπὲρ Μαλέαν navigasse. Quamvis contrariis ventis retentus nunc destino partim orariis navibus, partim vehiculis provinciam petere. Nam sicut itineri graves aestus, ita continuae navigationi etesiae reluctantur.“ Omitto, quod parum concinnum, parum elegans dicendi genus apparet (attende ad particulam nunc male usurpatam et parum dextre collocatam), omitto, quod, qui profectus ex Italia gravissimi muneris suscepturus partes venisse se Ephesum imperatori scripserit, eum iustissima spes est nonnulla, quae aut sint magni momenti aut delectent animum, Caesari strenuo esse nuntiaturum: illud mihi maximam iniecit mirationem, credi potuisse, Traianum huic epistolio respondisse. Equidem quantumvis arctissimo amicitiae vinculo praefectum et imperatorem cogitem coniunctos, tamen non solum, quod documentum amoris perquam contemnendum iste ediderit, sed multo etiam magis, quod incredibile fere esse possit videri, imperatorem amico profecturo in Bithyniam maxima iam itineris parte superata, rescripturum fuisse non aliter, ac si speravisset, epistolam Roma missam illum esse in ipso itinere lecturum, aperta fere fallaciae signa invenisse me puto. Haec autem offert responsoria: „Recte renuntiasti, mi Secunde carissime. Pertinet enim ad animum meum, quali itinere in provinciam pervenias. Prudenter autem constituis interim navibus, interim vehiculis uti, prout loca suaserint.“ Profecto, quae ultimum tenent locum verba, luculento esse debent documento, imperatorem cogitavisse videri voluisse auctorem responsoriam non lectum iri in Bithynia, sed a praefecto in itinere pergente. Iam cum stolidissimum tantum regulum tale quid mente sua comprehendere posse possit statui, mihi iustae dubitationis caussam reperisse videor.

Haud valde abludunt sequentes epistolae. Praefectus ubi gravissimis aestibus atque etiam febriculis vexatum Pergami se substitisse et postea quam transisset in orarias naviculas XV Calendas Octobres demum Bithyniam intrasse retulit, rescribit ineptissima ratione Traianus ea quae nuntiata ipsi erant, addens tamen aliquid, ex quo incautum fuisse epistolarum auctorem coniici possit. Nullam scilicet praefectus suorum mentionem

iniecerat et tamen responsoria ab his incipit verbis: „Cuperem sine querela corpusculi tui et tuorum pervenire in Bithyniam potuisses.“ Gierigius ipse, quid sibi voluerit auctor, se non assecutum esse confessus legendum esse putat ventorum pro voce tuorum; at improbanda haec coniectura videtur, quanquam nequit negari, praefectum de contrariis ventis conquestum esse. Parum enim concinne coniungerentur verba corpusculi tui et ventorum: quorum prius rem laesam, alterum rem tardantem significaret. Schaeferus quoque vulgatam tentari vetat: per se iam intelligi gravissimos aestus etiam comitibus Plinii molestos fuisse. Verum in his proba additamenti excusatio non inest: fortasse auctor memor erat verborum epistolae decimae sextae: nuntio, me Ephesum cum omnibus meis ὑπὲρ *Μαλέαν* navigasse. At prorsus inepta apparebunt verba responsoriae: „Cuperem — simile tibi iter ab Epheso ei navigationi fuisset, quam expertus usque illo eras.“ Ubi, Traiane, legisti, quale sit praefectus tuus expertus iter ad Ephesum usque. Hic tibi de itineris commoditate nihil scripsit: nisi fortasse velis verba „quamvis contrariis ventis“ referre ad itineris descriptionem eademque coniungere cum praegressis me Ephesum navigasse: tum vero soloecismum habebis et descriptionem opinioni tuae plane adversantem.

Reperitur praeterea in epistolis appellatio Caesaris, qua saeculo iam decimo sexto legentium ingenia sollicitata esse novimus. Dominum enim praefectus appellat saepissime imperatorem suum: quae res maximae esse debebat offensioni, quia in Panegyrico Plinius ipse 2, 3 his verbis allocutus est Traianum Caesarem: „Discernatur orationibus nostris diversitas temporum et ex ipso genere gratiarum agendarum intelligatur, cui, quando sint actae. Nusquam ut deo, nusquam ut numini blandiamur: non enim de tyranno, sed de cive; non de Domino, sed de parente loquimur.“ Qua de caussa Gesnerus adiutus verbis Senec. ep. 3. „obvios, si nomen non succurrit, dominos salutamus,“ blandientis et amantis Plinii istam esse vocem censuit. Recte autem contra Gesnerum monuit Gierigius, Plinium reverenter ubique ad Traianum scribere nec unquam familiarium blanditias sibi

permittere. Itaque nunc summae potius potestatis nomen haberi debere. Male autem ipse contendit in epistolis Plinium consuetudinem vulgarem secutum, in Panegyrico priscum istius vocis esse interpretatum. Augustus videlicet referente Suetonio (Aug. c. 53) domini appellationem ut maledictum et opprobrium semper exhorruit, immo, quum spectante eo ludos pronuntiatum esset in mimo: O dominum aequum et bonum! et universi quasi de ipso dictum exsultantes comprobassent: statim manu vultuque indecoras adulationes repressit et insequenti die gravissimo corripuit edicto dominumque se adpellari ne a liberis quidem aut nepotibus suis vel serio vel ioco passus est. Tiberius quoque Domini adpellationem prohibuit[13]). Domitianus contra adclamari sibi et uxori in amphitheatro epuli die libenter audiit: domino et dominae feliciter! immo, quum formalem dictaret epistolam sic coepit: dominus et deus noster hoc fieri iubet[14]). At Traianum equidem, cum isto nomine tam honorifice de eo locutus sit Plinius orator, adnumeraverim iis imperatoribus, qui istud adulandi genus perhorruere. Plinium autem, posteaquam professus esset diversitatem temporum discerni debere orationibus Traiani tempore habitis, dominique nomen iuxta tyranni appellationem posuisset, in epistolis dominum appellaturum fuisse imperatorem valde dubitaverim.

In universum autem in epistolis scripturae genus observabit lector diligens et Plinio iuniore et Traiano imperatore prorsus indignum, quamvis in elegantis sermonis excusationem ab origine sua petere Traiano sit concessum. Plinii iunioris epistolas pure, nitide, eleganter ac tersissime esse scriptas nemo est, qui neget: verum harum virtutum nullam in epistolis ad Traianum missis senties. Non deerunt, qui dicant, aliud esse scribere de rebus ad litteras vitamque quotidianam spectantibus, aliud de rebus

13) Tacit. Annal. l. II. c. 87 ita scribit: neque parentis patriae delatum vocabulum assumpsit acerbeque increpuit eos, qui divinas occupationes ipsumque dominum dixerant.

14) Cf. Sueton. vit. Domit. c. 13.

publicis ad Caesarem. Recte hoc oblici posse concedo, sed tamen largiere diligentiam et puritatis studium in epistolis ostensurum fuisse Plinium iuniorem virum bonae existimationis studiosissimum. At maximae negligentiae exempla facili negotio deprehendes. Recte I. A. Ernestius notavit dicendi genus, quale produnt verba epistolae proximae: dii immortales festinaverunt virtutes tuas ad gubernacula reipublicae, quam susceperas, admovere, quod gubernacula commemorentur gubernatorque non recte dicatur navem suscipere. In universum equidem dictionem suscipere rempublicam reprehenderim; rei publicae salutem suscipere apud Ciceronem invenies c. 22 orat. pro P. Sextio. Ep. 2 offendent verba scribentis: „(liberos) habere etiam illo tristissimo seculo volui, sicut potes duobus matrimoniis credere[15])." Epistola 10 (20) legimus: Ut primum me, Domine, indulgentia vestra promovit ad praefecturam aerarii Saturni, omnibus advocationibus renuntiavi. In his verbis fuere qui vossitationis, quae dicitur, initium invenirent. At Gierigius probabiliorem tulisse hoc de loco videtur sententiam, Traianum dicens ratum fecisse, quod destinasset Nerva: verbis Paneg. c. 90 „habuerat hunc honorem periculis nostris divus Nerva, ut nos, etsi minus, ut bonus promovere tamen vellet," non obscure significari, Nervam Plinio destinasse Praefecturam aerarii, sed, antequam contulisset, morte esse exstinctum, itaque non mirum esse, si gratus Plinii animus utrique se obligatum esse illo munere fuerit professus, quod item ep. 12 (24) fecerit scribens curis delegati a Vobis officii retentus. Verum sic quoque improbabis verba indulgentia vestra, cum Nerva morte iam fuerit exstinctus. Ep. 12 (24) in verbis apud bonitatem tuam semina formularum, quibus postea stilus curialis sit usus, invenies. Haud placebunt verba ep. 16 (11): „rogo, ut ipse apud te pro dignitate eius precibus meis faveas: cui et, si quid mihi credis, indulgentiam tuam dabis; dabit ipse operam." Mirabilem speciem habet epistola undevicesima (29), in qua bis, quo die venerit in Bithyniam, indi-

15) pro malui in sequentibus quin legi debeat maluerant, scil. dii, non dubito.

cat praefectus. Ineptissima inveniri in hac epistola iam ostendit Gierigius; neque tamen assentior eidem contendenti, ineptias ab aliena manu esse additas. Epistolam 29 (86) Traianus his exorditur verbis: „Potuisti non haerere circa id, de quo me consulendum existimavisti.“ Verba sane ita convertes: Du konntest nicht in Verlegenheit sein; displicebit tamen dicendi genus. Ep. 56 (19) improbanda videtur dictio quieti alicuius manum iniicere. Est sane iniicere manum idem atque cogere, morari, retardare (Gewalt anthuen), et recte Valerius Max. IV, 2 scripsit: „At externa transire conanti M. Bibulus manum iniecit.“ Cf. praeterea Vellei. II. 99, 3. Apte autem dici posse quieti manum iniicere valde dubitarim. Ep. 65 (64) molestissimam interrogationis eiusdem invenies repetitionem. Auctoris negligentiam Gierigius ipse notavit. Ep. 70 (50) caput rei plane omissum intelliges. Leguntur haec verba: „Est in Nicomedensium finibus amplissimus lacus: per hunc marmora, fructus, ligna, materiae, et sumtu modico et labore usque ad viam navibus, inde magno labore, maiore impendio vehiculis ad mare devehuntur. — — Sed hoc opus multas manus poscit.“ Lacunam codices non innuunt: mente addes quae excidisse putavit Rittershusius verba: „id corrigi potest et minori impendio effici, ut commodius materia devehatur;“ verum quin scriptor negligentiam suam egregie manifestaverit, equidem non dubito. Maxime autem, qui noverit Plinii iunioris dicendi genus, eum offensura puto verba ep. 21 (34): „Prusenses, Domine, balineum habent et sordidum et vetus. Id itaque indulgentia tua restituere desiderant. Ego tamen aestimans novum fieri debere videris mihi desiderio eorum indulgere posse.“ Scio in prastantissimis scriptoribus anacolutha eiusmodi obvia esse: at Plinii epistolae nullum praebent exemplum. Insuper in tam brevi epistola tantam negligentiam permissurum sibi fuisse Plinium credi vix licet: neque credidit Gierigius, qui coniecturis illum a labe immunem reddere studuit.

Iam igitur, quoties, quae disputata sunt, colligo apud animum meum, haud immerito de laudatarum epistolarum origine, qualem crediderunt adhuc viri docti, dubitare posse mihi videor. Augetur dubitatio eo ipso, quod

in paucis tantum codicibus istae epistolae reperiuntur. Catanaeus nonnisi in uno eas reperit exemplari: nec non quibus libris usi sunt Modius, Gruterus et Cortius, ab his, uti a Parisiensibus abfuerunt illae. In optimis libris Mediceo et Pragensi, quorum lectiones, quando consentiunt, ubique fere probandae sunt, frustra eas quaeres. Obiicies fortasse Tertulliani auctoritatem, qui apolog. c. 2 argumentum illius de Christianorum conditione scriptae epistolae et rescripti Traiani satis accurate laudaverit. Verum et Tertulliani et reliquorum scriptorum Eusebii, Orosii testimonia hoc tantum videntur probare, revera Plinium iuniorem de statu Christianorum ad Traianum retulisse. Quid autem prohibet, quominus secundum Tertulliani verba epistolam novam factam et Plinio iuniori adscriptam esse putemus? Fortasse Symmachi exemplum qui decem epistolarum libros publicavit, reiectis, quas ad Caesarem scripserat, in decimum, imitari voluit, quisquis illas ad Traianum scripsit. Sidonius Apollinaris novem tantum novit epistolarum Plinianarum libros. Imitationis vestigia praeterea possunt deprehendi in epp. libr. II. 13 et X. 3. Magna scilicet in utraque epistola apparet similitudo, ita ut Plinii ipsius epistolam auctor in usum suum convertisse fere videatur. Simile quid statues de locis, in quibus lectione Panegyrici satis imbutum fuisse eundem concedes. Cf. ep. 3 Paneg. c. 2; ep. 13 (25) Paneg. c. 52; ep. 16 (11) Paneg. c. 15; ep. 29 (86) Paneg. 42.

Haec fere sunt, lector benevole, quae suspicionem mihi moverint de credita epistolarum origine.

CORRIGENDA.

Pag. 2 l. 4 pro: adnexuerant lege: adnexuerunt.
— 8 l. 6 post ubi excidit: cogitaverimus.

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

MAY 29 [illegible]

CANCELLED

Lp 29.306
Prolegomena ad librum epistolarum q
Widener Library 005685685
3 2044 085 224 749